Cap. XXVII.



Cum ergo non penitus prodierint æquales hi anguli, secunda positione usus sum, promota α n sub Fixis per 1́. Et inveni ε δ ζ 21̊. 40́. 9″, ε γ α 21̊. 22́. 14″, differentes minutis 18, quod est duplum prioris discordantiæ. unde intellectum, non promovendam sed retroagendam α n in antecedentia.

Limatio hypothescos capitis XVI in locis longitudinis.

Tertio igitur posito Martis *eccentrico anno* MDLXXXV *in* ♌. 26̊. 2″ ♎ *prodiit ε δ ζ 21̊. 15́. 54″, ε γ ζ 21̊. 13́. 54″. Differentia adhuc 2́, quam tuto neglexerimus.* Proportione tamen usi intelligimus, anticipandum hoc loco Martis eccentricum per $2\frac{1}{2}$, uti prius capite XXII in oppositio semicirculo per 1́ fuit promotus: quorum utrumque fit per auctionem eccentricitatis & nonnullam retractionem aphelii.

Jam pergamus ad inquisitionem reliquorum. *Et quia uterque angulorum quæsitorum decrevit, decrescent igitur amplius per retractionem ipsius α n. Sit ergo uterque 21̊. 13́. & ζ β ε 42̊. 26́ duplus ad centrum. Quare ζ ε β 68 gr. 47 min.*

In ζ α ε triangulo est angulus ζ α ε 42̊. 6́. 57″: & latera dantur ex nova correctione, ut sit α ζ 62177, α ε 61525 circiter. Hinc ζ ε α datur 69̊. 43́. 1″, & ζ ε 44518. Eadem vero ζ ε ex angulo ζ β ε (cujus ζ ε subtensa) est 72379, qualium ε β 100000. Ergo qualium ε β 100000, talium α n est 162818, & ideo α ε 100174. Subtracto vero ζ ε β à ζ ε α, relinquitur β ε α 0̊. 56́. 31″ & β α ε 83̊. 30́. Quare aphelium in 10̊. 19 ♑, *eccentricitas vero α β 1653.*

Rursum

Cap. XXVII.

Rursum admodum propinque dimidium ipsius 3600 attigimus. quod proculdubio plene assequemur, ubi & ipsissimum apogæum attigerimus.

Sciendum tamen est, si ponamus viam terræ non esse plane circulum, sed angustiorem ad latera, prodire hic α n paulo minorem quam 163100. Et tunc $1\frac{1}{2}$ scrupulis ablatis a loco eccentrici, & usurpata eccentricitate terræ 1800, & aphelio $5\frac{1}{2}$ ♑, prodeunt hæ visiones

	26̊.55́ ♌	8̊.11́ $\frac{2}{3}$ ♍	8̊.49́ ♎	9̊.44́ $\frac{1}{3}$ ♎
Debuit	26.54 $\frac{1}{2}$	8.12	8.48	9.46 $\frac{2}{3}$

Consentit hæc positio etiam meis observatis anno MDCIV D. XXIX Febr. vel x Martii; quem diem sequente nocte, culminantem Martem inveni meis instrumentis in 26̊. 18 $\frac{1}{2}$ ♏. & his assumptis calculus ipsum refert in 26̊. 17 $\frac{1}{2}$ ♏. Fuit autem H. VIII $\frac{2}{3}$ paucis horis ante observationem rursum in eodem loco eccentrici.

Cæterum quia hic Mars obtinet latitudinem, igitur α n modo inventa, est distantia n puncti in plano eclipticæ a centro Solis, in quod punctum perpendicularis ex corpore Martis demittitur, ut supra monitum capite XX. Vera autem ipsius corporis Planetæ a centro Solis distantia paulo fiet longior per 37 particulas.

CAPVT XXVIII.

Assumptis non tantum locis SOLIS sub zodiaco, sed etiam distantiis SOLIS a TERRA, per eccentricitatem 1800 extructis; per aliquammultas observationes MARTIS in eodem loco eccentrici versantis videre, an unanimi consensu eadem distantia MARTIS a SOLE, idemque locus ejus eccentricus ubique eliciatur. quo argumento comprobatum erit, eccentricitatem SOLIS 1800 justam esse & recte assumptam.

NE MIRERE lector, quod jam tertia vice eccentricum locum Martis non præsuppono, ut is ex hypothesi acronychiarum observationum supra inventa extruitur. Nam dixi hypothesin illam esse vicariam tantum, non naturalem; itaque tantam ejus esse fidem, quantum ab observationibus cogitur; & posse locis inter observationes intermediis nonnihil exorbitare. Præterea expedit nobis varias habere demonstrationum methodos ad